



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. D. Ioannis Ivsti Lanspergii, Natione Bavari, Illvminati  
Ac Religiosissimi viri, Carthusiae Coloniensis ante annos  
centum Vicarii, & Magistri Nouitiorum laudatissimi Opera**

In Qvinque Tomos Distributa, à mendis expurgata, veteri integritati  
restituta, & indicibus locupletata

De Tempore

**Landsberg, Johannes Justus**

**Coloniae Agrippinae, 1631**

Vita R. P. D. Ioannis Ivsti Lanspergii, Conscripta Ab Illivs Discipvlo P.  
Brunone Loherio Carthusiano.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47044](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47044)

VITA  
R. P. D. IOANNIS  
IVSTI LANSPERGII, CON-  
SCRIPTA AB ILLIVS DISCIPVLO  
P. Brunone Loherio Carthusiano.

**D**ilectus Deo & hominibus Pater Ioannes Lanspergius, re & cognomen-  
to Iustus, ex celebri Germaniæ ducatu Bavarix & Ciuitate Lansperga  
honestissq; parentibus originem duxit. Qui à Domino præuentus in  
benedictionibus dulcedinis, post expletum in Alma Vniuersitate Ciui-  
tatis Colonienfis studij Philosophici cursum, mox florem Iuuentutis  
suis in Carthusia eiusdem ciuitatis Creatori suo offerens, corpore & a-  
nimo mundum deseruit, seseq; militia spiritali viriliter accinxit. In qua quantum  
in omni spiritalis vitæ disciplina profecerit, quàm feruidus extiterit amator Dei, quàm  
deuotus gloriosæ Virgini Matri eius, (hanc enim post Deum vnice diligebat) quàm  
obediens erga superiores, quàm durus sibi, quàm benignus alijs, quàm zelosus pro  
obseruantia sacri Ordinis, quàm tenax Iustitiæ, quàm assiduus in oratione, quàm in-  
fatigabilis in labore, quàm multis denique verbo & exemplo in viâ Dei, veluti fulgi-  
dum sydus in firmamento Ecclesiæ positum, luxerit, difficile foret explicare. Qui por-  
rò aliqua hinc nosse voluerit, sedulo pijsq; animo eius scripta & libros perlegat. Fuit  
quidem non modo in secularibus litteris apprime eruditus, verùm etiam internâ vn-  
ctione Spiritus Sancti non mediocriter illustratus: quo dulce fiebat ei in lege Domini  
meditari die ac nocte, semperq; vel deuotis precationibus, aut sacra lectione, aut certè  
scripitione tempus fructuosè deducere, insuper hostiam Agni immaculati Deo in Al-  
tari quotidie immolare. Et his sanctis exercitijs adeò feruenter incubuit, vt ab illis  
nec, validis quidem (quibus aliquot annis ante mortem premebatur) sineret se a-  
uocari, sed supra vires sæpè loquens, supra vires nihilominus sese ad ea cogebat. Om-  
nium hominum necessitatibus velut pia Mater compatiebatur, seseq; petentium con-  
solationi suæ informationi (neglecto interim subinde somno vel cibo proprio) totùm  
impendere non grauabatur. Nam omnibus alijs benignus & affabilis, sibi autem soli  
durus & immisericors fuit. Vt carnem spiritui repugnantem domaret, corpusculum  
suum ieiunijs, vigilijs, flagellis, cilicijs & alijs patientiæ laboribus assidue macerabat.  
Aliquamdiu etiam lorica ferream super nudam carnem circa renes occultè porta-  
uit. Ac bis delicatis, à verbis superfluis, otiosis siue nociuis seipsum summo studio  
temperabat. Vnde quilibet facile colligere potest, quanto nitore puritatis mens eius  
fusserit intus: qui carnis sensuumq; suorum tam strenuus castigator extitit foris: quo-  
niam absq; huiusmodi castigatione, quisq; se puritatem mentis & corporis adipisci  
putat, seipsum miserè decipit, vmbra sequens & aerem verberans. Obedientiam su-  
perioribus suis tam in grauibus, quam in leuibus rebus adeò simpliciter, & absq; vlla  
discretionè, & sine murmuratione quacunq; exhibebat, vt omnes id summè miraren-  
tur. Cuius rei gratia cum in officio Prioratus domus Cantauj propè Iuliacum (quod  
ex sola obedientia susceperat) propter loci humiditatem suæ naturæ prorsus contra-  
riam, ex vomitu sanguinis sæpius vsque ad mortem ægrotaret, nunquam tamen im-  
(o) 2 fortunè

portantē à superioribus suis exegit ad salubriore locum, licet id maximè desideraret, remitti. Vnde paulò ante obitum suum pro informatione cuiusdam fratris grauitè testabatur se in Ordine contra superiorum suorum voluntatem, nec vno verbo scienter vnquam fecisse. Quapropter tantam cordi, & verbis eius Deus infudit gratiam & sapientiam, vt non solum fratres, sed & Principes quoque & magnates terræ eum requirentes, monita salutis cum magna auiditate & reuerentia ab eo audirent, ipsum vt Dei amicum, seu potius Deum in ipso loquentem honorarent. Et quia in operibus bonis in domo Dei seruum se fidelem & prudentem exhibebat, misericors Dominus ipsum pro incremento salutis suæ calculo, phitisi, tussi violenta nimium, vomitu sanguinis, & nescio quibus alijs grauibus & diuturnis languoribus velut aurum in igno in hoc seculo (quod orare subinde, quemadmodum etiam in scripturis eius reperimus, solebat, à peccatis suis plenè (vt speramus) purgare dignatus est. Nam mirabili patientia sustinebat, conas omnes & dolores, quibus supra modum præsertim circa finem vitæ suæ, vexabatur, aded vt intuentes stupere, dicerentq; ipsum supernaturaliter in vita seruari. Quod nemini mirum videatur, cum à medicis sæpè desperatus, & morti adiudicatus sit, eo quod hepar & pulmo læsa & corrupta multis annis, contra eorum sententiam valeudinarius superuixerit. Aded quoque patientissimo hæc aliq; complura animo ferebat, vt nunquam vnum impatientis verbulum ab eius ore processerit. Et quando aliqui religiosi, seu etiam seculares & magnates ipsum visitarent, eumq; percunctarentur, quinam haberet? semper respondit, vel bene se habere, vel cum D. Iob. Sicut Domino placet. Sit nomen Domini benedictum. Sapius rædit eum diutius viuere propter nimios excessiuosq; dolores, cupiebatq; dissolui & esse cū Christo, maximè propter grauissimam Ecclesiæ Catholicæ ruinam, animarumq; damnationem, sanguineis lachrymis meritò descendam, quas passim absque modo & fræno per libros Erasmi, Lutheri, & aliorum Ordinis sui desertorum (quos à Deo dicebat datos in reprobum sensum) videbat corruptas ad infernum currere, cum talibus pseudo doctoribus excœcatus hodie credat mundus. A quorum lectione ipse penitens abstinere, abstinendumq; omnimodis admonebat, cum quia parum bonæ frugis habeant, tum quia absque aliquo periculo vel contagio vix legi queant, cum sermo eorum vt cancer serpat: tum etiam quod non modo omnis doctrina, sed etiam omnes libri ipsorum prohibiti & damnati essent. Qua etiam re permotus, vt erat mirè amans & sitiens salutis animarum, multa subinde edidit scripta, nihil nisi pietatem, sanam fidem, proximam in Deum proximisq; amorem spirantia, vt pro sua virili parte quoad eius fieri posset, iam euersos & corruptos ab errore & nexibus diaboli, quibus videbat innumeros tam tenaciter obligatos, clausis oculis in flammis tartareas prooperare, extraheret, nutantes ac titubantes firmaret, stantes corroboraret, tepidos accenderet, conantes iuaret, imperitos instrueret, currentibus calcar adderet, Deo seruire cupientibus tanquam probè exercitatus & peritus dux regium monstraret iter, denique nemini non aliquam adferret vtilitatem. Quod sanè Deo fauente, & scriptis eius gratiâ haud vulgarem aspirante cecidit illi non infeliciter, tantumq; in Dei Ecclesiæ fructum fecit, vt inter Ecclesiasticos Doctores non postremo sit loco numerandus. Et quia contemni solent ij, qui quod docent, ipsi non præstant, seipsum studuit virtutum omnium tanquam viuam quoddam simulachrum exhibere, nihilq; in se admittere, quod doctrinæ illius repugnaret, aut pondus detraheret. Ita fiebat, vt quicquid diceret aut scriberet plurimum haberet in erga, & auctoritatis etiam apud magnos & eruditos viros, qui in illo certis iudicijs spiritum Christi habitantem & per os eius

tanquam organum sua verba exprimebam, animaduertentes, tum dictis, tum scriptis illius sæpe non mediocriter permouebantur. Erat sane in tota illius viuendi ratione nimius candor, columbina simplicitas, cum prudentia multiplici coniuncta, Christiana integritas, prompta erga quosuis beneuolentia, propensa benignitas, suavis nec tamen dissoluta affabilitas, odium peccati, iustitiæ amor, contemptus mundi & rerum terrenarum, paupertatis ingens studium, charitas flagrantissima. Quis ad illum unquam accessit, qui non senserit illius se exhortationibus adiutum? Quis illius familiari vsus colloquio non aliquid lucri reportauit? Nec solum erga fratres suos promptissima alacritate talem se gessit, sed etiam erga externos & ignotos.

Euangelicam præstare virum re ipsa semper studuit: non solum ore Euangelium, vt multi hodie solent, circumferre. Excecrabatur plurimum impios dogmaticas nostrorum temporum, quod cum tota vita ab Euangelij descripto discrepent, tamen se iam et Euangelicos, & à Deo illuminatos, & videri velint: quorum illi impudens temeritas, & vesana impudentia summè erat inuisa semper ita tamen, vt illorum doleret vicem, pleraretq; cæcitatem & amentiam, quam se ipsos, tum alios complures in æternas conijcerent miseras & calamitates, licet id ipsi nullius pensi habeant ob vastissimas cordis tenebras, & præ fractam animi obstinationem.

Sæpe in lucubracionibus suis eorum reprehendit & confutauit errores, non alio sanè consilio, quam vt ijs agnitis respicerent, aut certè alij eisdem non implicarentur. Est enim hoc commune sanctis Dei hominibus, vt cupiant ac nitantur diabolica fraude deceptos eripere & ad veram salutem reuocare. Non enim ferre possunt animarum pericula, quibus multò magis, quam proprij corporis incommodis cruciantur. Sed & ipsa Dei omnipotentis multiplex iniuria quam accipit ex peccatis hominum supra modum illos cruciat, ob ingentem erga illum amorem, qui facit, vt etiam minima in seipsis peccata non sinant inulta abire. Possemus adhuc multa in huius venerandi patris commendationem plena fide scribere, sed quia ex scriptis ille suis abundè cuius manifestus est, longam texere historiam superfluum iudicamus. Feliciter vixit, & felicem vitam obitus felix consecutus est. Non potuit mala perire morte, qui etiam cum viueret, ita vixit tanquam propediem moriturus. Non necesse habuit mortis timere insidias, qui nihil in se residere patiebatur, quod posset mortis terrorè incutere. Dum vixit omne peccatum & quicquid in morte prægrauare posset diligentissime à se profligare conatus est, vt morte aduentante, non tum demum quod multi stolidissime faciunt, ad mortem sese præpararet, sed ipsam mortem tanquam vitæ aditum lætissimus exciperet. Et certè vnum illum ex eorum fuisse numero minimè dubitamus, qui vitam in patientia, & mortem habent in desiderio. Quid enim illum delectaret viuere, qui, vt iam ante diximus, tam varijs cruciabatur morbis, vt mortuò quam viuenti esset similior? Ergo indefinenter suspirabat ad mortem, vt posset venire ad conspectu gloriæ Dei. Et quamuis aliquandiu dilatus fuerit, nec pro voto exauditus, tandem tamè post multos fideles labores & patientiæ coronas, fructumq; animarum, quem in Ecclesia Dei & Ordine Carthusiano verbo, calamo, & exemplo tulit vberimum, Sacramentis Ecclesiasticis religiosè munitus & omnia sua errata aliquoties scrupulosè ac piè confessus, bene compos mentis, postquam in sancto Ordine Carthusianorum annos XXX. laudabiliter sanctèq; vixerat, sanctum spiritum suum Deo reddidit, à quo illum acceperat, tertio Idus Augusti anno ab orbe redempto M.D. XXXIX.